

Paupertas A

Non tibi displiceat paupertas tua, nichil ea potes ditius invenire. Visus nobis est quod locuplex sit, celum emit quibus thesauris conferri possit quod paupertati videmus indultum ut ad regnum celorum veniret, dives possessione sua obtinere, non potuit nunc obtinet ut contemptu perveniat.

Augustinus de verbis apostoli sermone 28.

Paupertas B

Bonum est facultates cum dispensacione pauperibus erogare, melius pro intencione sequendi Dominum in simul donare et absolutum solitudine egere cum Christo.

Augustinus de ecclesiasticis donis.

Paupertas C

Omnis philosophie magistra nobis est inopia, non ita laudamus Ioseph cum frumentum distribuebat, sicut cum carcerem habitabat.

Augustinus super Psalmum 76.

Paupertas D

Hi sunt pauperes spiritu, qui quando faciunt aliquod bonum Deum laudant, quando aliquid mali se accusant.

Augustinus de verbis Domini.

Paupertas E

Fecundus est ager pauperum; cito reddit donantibus fructum; via celi est pauper, per quem venit ad Patrem; incipe erogare, si non vis errare.

Augustinus de verbis Domini.

Paupertas F

Pauper Dei est in animo non in sacco.

Augustinus super Psalmum 31.

Paupertas G

Nichil gravius quam ut fratres nostros pauperiores superbo oculo despiciamus, conformes nobis intollerabili repellamus fastidio, nostra indignos gracia iudicantes, quia sunt inopes cum paupertas facilius Deo quam thesaurus acceptior.

Ambrosius super illud Psalmorum: Increpasti superbos.

Paupertas H

Ob hoc maxime amanda est paupertas, quia a quo amaris ostendit, quippe non habet adulacionem comitem sibi parcentem, fortunam hominis et non personam amantem.

Hieronymus in quadam epistola.

Paupertas I

Difficilius arrogancia quam auro et gemmis caremus. His enim abiectis interdum gloriosis tumemus, et venerabilem paupertatem populari aure offerimus. Plus enim est animum deposuisse quam cultum.

Hieronymus epistola 120.

Paupertas K

Non absque amictu lineo incedere, sed precium vestium linearum non habere laudabile est. Modica esca in hamo ponitur ut matronarum in eo sacculi protrahantur sic bestie, sic aves sic capiuntur et pisces.

Hieronymus in epistola ad Nepocianum.

Paupertas L

Natus in paupere domo et in tugurio rusticano qui vix milio et mane crebracio rugientem saciare ventrem poteram, nunc simulam et mella fastidio.

Hieronymus ibidem.

Paupertas M

Paupertas inopia mentis est, non in quantitate possessionis, nam cui cum paupertate bene convenit dives est.

Gregorius super Ezechielem homelia 6.

Paupertas N

Cum quosdam pauperes aliqua reprehensibilia perpetrare conspiciatis, nolite despiciere, quia fortasse quos superfluitas tenuissime pravitatis inquinat, caminus paupertatis curat.

Gregorius in homelia: Homo quidam erat dives.

Paupertas O

Offerenda est eis consolacio quos caminus paupertatis excoquit, atque illis inferenda est timor, quos consolacio glorie temporalis extollit.

Gregorius in pastorali.

Paupertas P

Paupertas est manudocatrix quedam in via que ducit ad celum, unctio athletica, exercitacio quedam magna et admirabilis portus tranquillus, nichil opulencius eo qui paupertatem sponte diligit et cum alacritate suscipit.

Chrysostomus sermone 18. super epistolam ad Hebreos.

Paupertas Q

Semper dives est Christiana paupertas nec pavet in isto mundo indigencia laborare cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere. Operantibus ergo que bona sunt non omnino metuendum ne eis desit facultas operandi, cum et in duobus minutis ewangelice illius vidue sit laudata devocio, et pro calice aque frigide premium habeat gratuita largicio. Ex affectibus enim piorum benignitatis mensura taxatur, et numquam cum miserandi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit.

Leo papa sermone 4. de quadragesima.

Paupertas R

Paupertatis tres sunt species. Sunt enim quidam qui rebus temporalibus egent sed inviti, et hec vocari egestas solet, egent enim rebus et egent bona voluntate, qua dicius nichil esse potest. Sunt alii qui rebus abundant, sunt tamen pauperes spiritu, et hec est aurea paupertas, quia licet affluent divicie, corda tamen nolunt apponere. Tercia est mediocritas, quam philosophi vocant fragilitatem que est voluntaria.

Hugo de claustro anime libro 1. capitulo 9.

Paupertas S

Sunt enim quidam qui de seculo veniunt ad religionem, quorum paupertas, beato Augustino testante, talis erat quod quando foris erant necessaria invenire non poterant, quorum cellario non hereditas, non patrimonium sed manuum labor annonam prebebat, et si manus cessaret panis deficeret, et in ecclesia honorari volunt, qui in sua domo non nisi contemptibiles esse poterant.

Hugo ibidem.

Paupertas T

Pauperes Dei sunt qui mundana superbia derelicta humilitati se per omnia tradiderunt. Nam et si pauper superbiat, non est Dei pauper, et si locuplex humilitatem diligat, non est seculi dives. Voluntates enim talium sunt in spiciende non nomina.

Cassiodorus super Psalmum 71.

Paupertas U

Videamus quam sit gloriosa ista paupertas, quam felix probetur inopia, que Dominum et tacita laudat et de paciencie sue virtute concelebrat; mutus est si psallat superbus, pauper et inops laudant Deum eciam cum videtur habere silentium.

Cassiodorus super illud Psalmorum: Laudabunt Dominum.

Paupertas X

Pauperes Christi sunt qui non solum pro suis malis verum eciam pro tocuis calamitatibus mundi intercedere comprobantur; egent in hoc seculo, sed sunt locupletes Deo, viciis vacuis sed virtutibus pleni, despecti hominibus, sed acceptabiles Deo.

Cassiodorus super Psalmum 101.

Paupertas Y

O miserabilis condicio mendicantis! Et si petit, pudore confunditur; et si non petit, egestate consumitur; sed ut mendicet necessitate compellitur, Deus causatur iniquus, quod non recte dividit proximus criminatur malignus quod non plene subveniat, indignatur murmurat imprecatur. Unde Salomon: Melius est mori quam indigere, eciam proximo suo odiosus erit. Fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici recesserunt ab eo.

Innocencius de vilitate condicionis humane.

Paupertas Z

Non sibi felix pauper erit nisi felices cecidisse videret. Honesta res est leta paupertas, illa vero non est paupertas si leta est, cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plus capit pauper est.

Seneca epistola 10.

Paupertas AB

Non enim iocunda res est aqua et polenta aut frustrum ordeacei panis, sed summa voluptas est ex his capere voluptatem, et ad id se deduxisse quod eripere nulla infortune iniquitas possit.

Seneca epistola 2.

Paupertas AC

Facile est pascere paucos ventres et bene institutos, et nichil aliud desiderantes quam impleri parvo fames constat, magno fastidium, paupertas contenta est desideriis instantibus satisfacere.

Seneca epistola 17.

Paupertas AD

Cum periculosum aliquid conclamandum est, quomodo exeat non quid efferat querit aut si navigandum est, non strepunt portus nec unius comitatu inquieta sunt littora, non circumstat illum turba servorum ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda fertilitas.

Seneca epistola 14.

Paupertas AE

Ob hoc unum amanda est paupertas quod a quibus ameris ostendit.

Seneca epistola 20.

Paupertas AF

Panem et aquam natura desiderat, nemo ad hoc pauper est intra que quisquis desiderium suum clausit cum ipso Iove de felicitate contendat.

Seneca epistola 25.

Paupertas AG

Nec paupertas tibi immunda sit, nec per simoniam sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida et si res tibi exigue sint, non sint tamen anguste, nec tua defleas, nec aliena mireris.

Seneca de quattuor virtutibus.

Paupertas AH

Ne imparatos fortuna nos deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si experti fuerimus quam non sit grave pauperes esse, ad paupertatem sua sponte descendere, preoccupare est tela fortune.

Seneca epistola 19.

Paupertas AI

Quod divitiis non potes scire paupertate scies, illa veros certosque retinebit amicos, discedit quis, non te sed tua sequebatur. O quando ille dies veniet quo nemo in honorem tuum menciatur?

Seneca epistola 20.

Paupertas AK

Redige te ad parva ex quibus cadere non possis inest paupertati sine qua nichil est iocundum securitas.

Seneca ibidem.

Paupertas AL

Quis est pauper? Qui sibi videtur pauper. Qui paupertatem timet timendus est. Scire uti paupertatem maxima felicitas est.

Seneca epistola 17.

Paupertas AM

Multis ad philosophandum obstitere divicie. Paupertas autem expedita segura est. Aut ergo pauper sis, aut pauperi similis si animo vacare vis.

Seneca epistola 17.

Paupertas AN

Nudum latro dimisit, eciam in obsessa via pauperi pax est.

Seneca in proverbiiis.

Pauperitas AO

Paupertas michi gravis est, immo tu paupertati, non est in paupertate vicium sed in paupere. Pauper es quia pauper tibi videris. Nichil deest avibus pecora in diem vivunt, feris in alimentis sollicitudo sufficit. Accepit ille grandem pecuniam ergo et superbiam.

Seneca de remedio fortunarum.

Paupertas AP

Solum hoc incommodum paupertas paciatur, quod non possit egentibus subvenire.

Philosophus.

Paupertas AQ

Hermogenes cum senem nudum videret interrogavit eum utrum tunicam an verecundiam non haberet. Ille respondit: fortunam.

[Auctor non nominatus].

Paupertas AR

Humile tugurium virtutes recipit. Angustus locus magnarum virtutum turbam capit. Diogenes enim, cum torqueretur in dolio, se domum volubilem habere iocabatur et se cum temporibus immutantem. Frigore os dolii vertebat in meridiem estate ad septemtrionem et ubicumque sol se inclinabat, ibi Diogenes simul pretorium divertebatur.

Valerius Maximus.